



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXIII. De Sacramento Eucharistia secundùm se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

miu & verba correspondentia non esse de essentia Ordinis sacerdotalis, facile concederet Pontificem posse, quod etiam facile colligi potest ex ijs que tradit Palud. eadem dist. quaest. 1. responsione ad 4. & dist. 25. quaest. 1. art. 2.

Sed cum verius sit hanc impositionem manuum etiam pertinere ad essentiam ordinationis, & hominem absque ea non esse completum sacerdotem, neque vi ordinationis habere ullam virtutem sanctificandi fideles per confectionem Sacramentorum, quae in usu consistunt, verius est ordinatum solum per verba, quibus datur potestas sacrificii offerendi, non posse ex commissione Pontificis hoc Sacramentum conficere, quia sanctificatio per hoc Sacramentum requirit potestatem Ordinis in corpus Christi mysticum, quia caret talis sacerdos, & licet bene legatur diaconus nullam habet potestatem in corpore Christi verum, ergo nec potest habere in corpore Christi mystici modo explicato; non tam sequitur in nostro casu; sacerdos habet potestatem in corpore Christi verum, ergo & in mysticum, quia ex positione causae remotae non ponitur effectus quamvis, bene negetur ex eiusdem causae negatione.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ritus huius Sacramenti sit conueniens?

AFFIRMAT, quod patet ex generali doctrina tradita in Concilio Trid. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere.

Notandum 1. praeter ritus essentielles huius Sacramenti, de quibus in precedentibus dictum est, quosdam adhiberi ad decentem administrationem huius Sacramenti vel ad spiritualem significationem spectantes, qui praescribuntur in Pontificali Romano, ut quod Episcopus debeat indui vestibus sacris ad hoc Sacramentum ministrandum. 2. quod ante ritum essentialem quaedam preces fundantur, & fiant benedictiones. 3. quod caput confirmati linteo cingatur. 4. quod Episcopus leuem alapam det confirmato dicens: *pax tecum*, quod fit ad significandum confirmatum debere esse paratum ad iniurias pro Christi nomine ferendas. vbi

Aduerte 1. omissionem alapae non videri peccatum saltem mortale, sicut nec omissionem cerei, ut plures notant.

Aduerte 2. lintheum relinqui ad septem dies, vel tres, vel ad aliud tempus, pro varia locorum consuetudine, ut chrisma exsicceat, quo tempore propter chrismae reuerentiam deest faciem non abluere, potest ex causa statim frons abstergi, videri potest Sa verbo Confirmationis num. 17. Solet etiam & debet patrum adhiberi, de quo dictum est art. 10.

Notandum 2. quamvis sit decens hoc Sacramentum ministrari, & suscipi a ieiuno, nullam tamen huius rei esse obligationem, nam in Pontificali Romano dicitur ieiunium tantum requiri ex honestate, & merito nulla talis imponitur obligatio, cum Episcopi raro suas dioeceses peragrent, & contingat interdum paruo tempore herere in locis remotioribus, ad quos proinde multi accedunt hoc Sacramentum recepturi; qui non omnes possunt tempore matutino & ieiuni Sacramentum recipere, neque ipsi Episcopi possunt ieiuni propter concurrentium multitudinem illud ministrare. unde canon, *ut ieiuni*, qui citatur ex Concilio Aurelianensi, & can. *ut Episcopi*, ex Meldensi, vel solum continent directionem, cum nullum in eis sit verbum, quod indicet strictum praecceptum; vel non habent vim pro Ecclesia vniuersa.

Potest etiam hoc Sacramentum conferri post prandium, & quamvis conferri debeat decenti loco, non tamen necessarium in Ecclesia, ut varij auctores notant.

Denique hoc Sacramentum potest administrari in locis generali interdicto subiectis, patet cap. *responsio*, de sententia excommunicationis, & cap. *quamquam*, eodem titulo, in 6. quibus cap. sermo est de interdicto generali locali. verisimile etiam est potest conferri in loco specialiter interdicto, nam cap. *quoniam*, de tali interdicto probabiliter potest intelligi.

QUESTIO LXXIII.

De Sacramento Eucharistiae secundum se.



QUAMVIS Sacramentum Eucharistiae dignitate, & excellentia sit primum, ut pote non tantum operatiui gratiae, sicut cetera legis nouae Sacramenta, sed etiam ipsum totius gratiae fontem Christum Dominum vere, realiter, & substantialiter continens, & in se complectens auctorem aliorum Sacramentorum, quae consideratione merito primo loco inter Sacramenta de eo tractari deberet; quia tamen iuxta antiquam Ecclesiae consuetudinem tertio loco conferebatur, idcirco Scholastici, & in his D. Th. sanctos Patres imitati de eo tertio loco disputant. quoniam Concilio Flor. & Trid. tertio loco reponunt iuxta eundem antiquam Ecclesiae morem, quo baptizatis seu spiritualiter genitis dabatur Confirmatio Sacramentum perfectionis, seu per quod perfectio virilis spiritualis acquiritur, tum succedebat Eucharistia, quae est instituta, ut sit nutrimentum perfectorum, quo viri & spiritualiter perfecti nutrirı debeant. vide Damascenum lib. 4. de fide cap. 14.

ARTICVLVS I.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum?

AFFIRMAT, quod declarat congruentiam aliquoties allatam, sicut in vita corporali non tantum datur generatio, per quam homo acquirit vitam, neque solum datur augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitae, sed etiam requiritur alimentum quo conseruetur in vita; ita in vita spirituali, ad quam Sacramenta sunt à Christo ordinata, non tantum dandum est Sacramentum baptismi per quod homo spiritualiter generetur, neque tantum adiungenda Confirmatio per quam spiritualem perfectionem virilem acquirat, sed etiam oportuit esse Sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum spiritualem animae vitam conseruans. vbi obiter

Aduerte 1. vocem, *oportuit*, apud S. Th. non significare omnimodam necessitatem, sed conuenientiam, quia constat tum ex dictis, tum ex summa Dei libertate in actionibus ad extra, eum nulla necessitate adigi posse, ut aliquid extra se faciat in ordine naturae vel gratiae, neque tantum eo sensu Sacramentum Eucharistiae non fuit necessarium, sed etiam posita voluntate instituendi aliqua Sacramenta, nam Christus Dominus nulla necessitate adigi potuit ad hoc Sacramentum instituendum, etiam posito decreto aliqua Sacramenta instituendi.

Aduerte 2. augmentum corporale non comparari exacte ex vna parte cum nutritione respectu Confirmationis, & Eucharistiae ex altera

Potest hoc Sacramentum conferri post prandium.

C. responsio. C. quoniam.

Venerabile Sacram. cur tertio loco numeretur. Flor. Tridens.

Resp. affirm. Congruentia D. Th.

parte, quia augmentum corporale requirit cibum, spirituale autem potest per aliud Sacramentum comparari quam per Confirmationem, & similiter aliter possumus in gratia conservari quam per Eucharistiam, praeterea postquam homo acquisivit perfectionem seu corporale augmentum, non amplius augetur; per Eucharistiam verò homo semper potest gratia augmentum acquirere, comparationes ergo D. Th. solum debent accipi, ut convenientem quandam applicationem continentes, seu comparationem aliqualem Confirmationis cum augmento corporali, & Eucharistiae cum corporali alimento.

Conclusio
est de fide.
Flor.
Trid.
Lateran.

Conclusio D. Th. est de fide definita in Concilio Flor. decreto de Sacramentis, & in Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & sess. 13. can. 1. definitur etiam in Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur cap. *simiter*, §. 2. de summa Trinitate, est quae ita certa non modò apud Patres & alios Orthodoxos, sed etiam apud ipsos haereticos, ut licet varij circa huius Sacramenti naturam, partes constituentes, virtutem, errauerint; non sit tamen facile inuenire aliquos, qui admitterent aliqua Sacramenta, & hoc negent.

D V B I V M

In quo consistat Eucharistiae Sacramentum?

3.

PRAESENTI dubio suppono in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, substantia panis & vini per veram suam destinationem in illa conuersis, remanentibus solum eorum accidentibus, quod contra haereticos nostri temporis in sequentibus est probandum, qua veritate supposita

Varia in
hoc Sacra-
mento in-
ueniuntur.

Notandum varia in hoc Sacramento inueniri in quibus illius ratio videri possit consistere. nam inuenitur corpus, & sanguis Christi latens sub speciebus; inueniuntur 2. species, quae per consecrationem destinauntur suo subiecto substantiali. 3. inuenitur consecratio, per quam substantia panis & vini destruitur, & corpus, & sanguis Christi ponuntur sub eorum accidentibus. 4. inuenitur usus & distributio.

Haeretici
censent hoc
Sacramen-
tum non esse
extra vsum.

Haeretici nostri temporis censent Sacramentum Eucharistiae non esse extra vsum, quod duobus modis potest intelligi. 1. ut sit solum manducatio, non corporis Christi, sed panis vulgaris representantis Christi corpus. 2. ut in Eucharistia contineatur quidem corpus Christi, sed non sit extra vsum, sed dum est ipse usus seu comestio. priorem modum debet amplecti Calvinista. de posteriori aliqua fit mentio in can. 4. sess. 13. Conc. Trid. de quo paulò post. uterque modus aperte haerem concinet, contra quem ex professione Trident. sess. citata. unde antiquam ad sententias Scholasticorum veniam;

4.

Conclusio
Non consi-
stet in
manducatio-
ne.

Dico 1. Sacramentum Eucharistiae non consistit in manducatione iuxta priorem explicationem. Prob. 1. ex Trid. sess. citata, ubi dicitur anathema neganti in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri verè, & realiter &c. Christi corpus. can. 2. damnatur, qui in eodem Sacramento negat conuersionem totius substantiae panis in corpus Christi, can. 3. damnatur qui negat in eodem Sacramento sub vnaquaque specie &c. separationem factam totum Christum contineri. vide can. 4. & 6. his canonibus partim traditur, partim supponitur Chri-

stum esse in Eucharistiae Sacramento, & proinde illius ratio non potest consistere in manducatione panis vulgaris, quod amplius ex dicendis in sequentibus patebit.

Conclusio
Manducatio
non pertinet
ad rationem
Sacramenti

Dico 2. manducatio iuxta secundam explicationem non pertinet ad rationem huius Sacramenti. Probatur 1. ex eo quod can. 6. citato definitur Christum in hoc Sacramento esse cultu laetiae adorandum, & in processione deferendum, ergo hoc Sacramentum est extra vsum, & proinde usus non pertinet ad eius rationem, seu substantiam, can. 7. definitur licere reservare Eucharistiam in sacratio, quod supponit hoc Sacramentum extra vsum consistere, praeterea posita legitimam consecrationem ponitur Eucharistiae Sacramentum, quod supponit Trid. can. 2. eiusdem sess. peractam autem consecrationem non necessario ponitur usus, seu manducatio, tum quia communiter inter consecrationem & sumptionem etiam sacerdotis intercedit aliquod tempus, tum quia valide attetaretur consecratio, quamvis nullus communicaret.

Probatur 2. Eucharistiae Sacramentum dicitur animae cibus, cibus autem nec est manducatio, nec ipsam includit, sed ei supponitur; ergo Sacramentum Eucharistiae praexistit manducationi. Confir. hoc Sacramentum in eo consistit, quod Christus dedit discipulis, dicens: *hoc est corpus meum* &c. qui non designant vsum, sed aliquid extra vsum consistens.

Probatur 3. si manducatio ad rationem Sacramenti pertineat, is erit dicendus etiam minister Sacramenti, qui ad illam concurrat, & proinde laici sumentes erunt dicendi ministri huius Sacramenti, & concurrere ad consecrationem corporis & sanguinis Christi, unde ad illud conficiendum non tantum non erit opus sacerdotibus secundum ritum Catholicum consecratis, sed ne quidem deputatis more haereticorum, cum tam bene quis possit manducare nullo praebente, quam alio distribuite.

Quod si dicatur requiri potestatem à magistratu, ut possit hoc Sacramentum distribui: respondetur quod non appareat quid faciat distribuens, eò quod deputetur à magistratu, quod non faceret quilibet priuatus sibi vel alteri porrigens.

Probatur 4. manducatio vel ideo dicitur pertinere ad rationem Sacramenti, quod corpus Christi non sit extra vsum in Eucharistia, vel quod non conferat gratiam extra vsum. prius dici nequit ut ex dictis patet, & ex can. 4. sess. citata, ubi definitur peracta consecratione in Eucharistiae Sacramento esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & non tantum in usu, dum sumitur &c. posterius etiam dici non debet, quia licet non possit nutrire, nisi sumatur, ipsa tamen sumptio non pertinet ad rationem cibi.

Sumptio
non pertinet
ad rationem
cibi.

Dices, applicatio, seu usus in alijs Sacramentis pertinet ad rationem Sacramenti; ergo & in hoc.

Confir. ipsa manducatio est aliquid sensibile collatum gratiae sanctificantis, igitur nihil ei deest ad rationem Sacramenti saltem partialiter constituendam. propter rationem in hac confirmatione allatam Aureolus apud Capreolum dist. 8. quaest. unica art. 2. in tertio argumento contra priuam conclusionem, censet vsum huius Sacramenti pertinere ad eius rationem. sed

Aureolus.

Resp. neg. consequentiam, alia enim Sacramenta consistunt in usu & applicatione materiae cuius formae, quae communis significat ipsam materiam applicationem, hoc verò Sacramentum & id, quod signifi-

Resp.

ficatur

neatur & constituitur per formam cōsecratiuam, est ante & extra vsum, vt ex dictis patet. Ad cōfirmationem

Resp. neg. antecedens sumptum eo modo quo in definitione Sacramenti sumi debet, nam Sacramentum non est sensibile quomodocumque concurrens ad gratiā collationem, sed concurrens per modum causæ, quā ratione non concurrat cōsecratio, sed tantum per modum applicationis ipsius causæ, sicut in naturalibus cōsecratio non est causa nutritionis, sed tantum conditio applicans causam, ipsum scilicet alimentum, cui in suo genere inest vis nutriendi. Vnde manducatio in hoc Sacramento longè aliter se habet, quàm se habeat in alijs applicatio materiæ remotæ, v. g. ablutio in baptismo &c. in his enim, quæ in vfu consistunt, ipsa applicatio materiæ remotæ est materiæ proxima, & vt talis per modum causæ concurret, cum materiā remotā & formā ad effectum Sacramenti, seu gratiæ productionem; vñ verò in hoc Sacramento solum est applicatio causæ.

His præmissis variæ sunt de presenti dubio Scholasticorum sententiæ.

Prima censet rationem Sacramenti Eucharistie consistere in ipsa cōsecratione, per quam corpus & sanguis Christi ponitur sub speciebus panis & vini, præter eos qui hanc sententiam videntur indicare, illam tenet Caiet. suprà quæst. 63. art. 6. versus finem.

Secunda asserit hoc Sacramentum constare speciebus, vt materiā, cōsecratione verò tantum formā, atque adeo cōsecrationem partialiter ad illius essentiam pertinere; ita quidam recentiores.

Tertia negat cōsecrationem pertinere ad essentiam huius Sacramenti, asseritque illam consistere in speciebus; ita Scotus dist. 8. quæst. 1. §. ex his patet ad 3. argumentum.

Notandum quòd cum querimus, in quo consistat ratio huius Sacramenti, non inuestigamus ea omnia, ad quæ ipsum Sacramentum aliquem diffinitionem, & quæ proinde ad illud in obliquo possunt dici pertinere, quā ratione panis & vinum dici possunt aliquo modo in obliquo ad hoc Sacramentum pertinere, quatenus hoc Sacramentum dicit ordinem ad illa tanquam ad materiā ex quā, & quæ per cōsecrationem deperditur, vt Christi corpus & sanguis sub speciebus ponantur: sed queramus quidnam ad hoc Sacramentum pertineat, tanquam illud intrinsecè constituens.

Resp. & dico 1. ratio huius Sacramenti non consistit in cōsecratione etiam tanquam parte essentia.

Probat 1. quòd non sit tota essentia, quia hoc Sacramentum est cibus animæ, quod de cōsecratione dici nequit. 2. Christus dedit illud discipulis, quod similiter dici non potest de cōsecratione. 3. Christi corpus verè & realiter in hoc Sacramento continetur, vt Trident. per quam continentiam Concil. non intelligit eam, quā causa efficiens dicitur suum effectum continere, & quā Sacramentum dicitur continere gratiam, sed aliam. 4. in hoc Sacramento sub vnaquaque specie, separatione factā totus Christus continetur; ergo hoc Sacramentum est post cōsecrationem; igitur cōsecratio non constituit illius essentiam, cum fieri nequeat, vt res remaneat pereunte eo, in quo eius ratio sita est. 5. hoc Sacramentum cultu latræ collitur, quod de cōsecratione dici nequit.

Probat 2. hoc Sacramentum verè & proprie dici potest sumi, item fieri per destructionem panis, eiusque cōuersionem in Christi corpus, quæ non conueniunt cōsecrationi. 3. cōsecratio non est causa gratiæ, nisi mediante termino producto, qui illius est causa, ergo ratio Sacramenti non potest ei competere. Probat 4. hoc Sacramentum communi sensu, etiam ipsius Ecclesiæ, consistit in re permanente, & in hoc specialiter differt à reliquis Sacramentis.

Et hæc contra primam sententiam, quæ etiam facile possunt applicari contra secundam, quòd scilicet ne quidem partialiter cōsecratio pertineat ad rationem Sacramenti: Quod intrinsecè non pertinet ad rationem cibi non potest pertinere ad rationem huius Sacramenti; cōsecratio autem in præfenti ita se habet, cum sit tantum causa eius effectiua: quemadmodum cōctio panis materialis non pertinet intrinsecè ad substantiam panis illam constituens. 2. Christus dedit totum Sacramentum discipulis & totum sumitur à fidelibus communicantibus, quod dici non posset, si cōsecratio partialiter pertineret ad rationem huius Sacramenti. 3. cum corpus Christi dicatur in hoc Sacramento contineri, illud debet existere quando verè potest dici: *Christi corpus est in Sacramento*, cum non possit dici corpus Christi contineri in eo quod non est; cōsecratio autem non est, dum dici potest Christus est in hoc Sacramento. 4. cōsecratio non est causa etiam partialis gratiæ.

Obijciunt 1. Flor. docens omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materiā, verbis tanquam formā &c. vbi censet verba esse formam Sacramentorum, quod agens de hoc Sacramento expresse tradit dicens: *forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc cōsecratur Sacramentum*; ergo cōsecratio saltem partialiter concurret ad rationem huius Sacramenti, illud constituens. Confr. non minùs in hoc Sacramento danda est forma intrinseca, quàm in alijs; nihil autem potest assignari, quod se habeat per modum formæ, præter verba cōsecrationis.

Resp. neg. consequentiam, quia Concilium non dicit constare rebus, vt materiā, & verbis, vt formā, sed tantum perfici. quā loquendi formā solum significat ad cōfectionem Sacramentorum requiri verba, quomodocumque ea requirantur. Confr. eodem modo dicit perfici personā ministri, quæ tamen non constituit intrinsecè Sacramentum. Confr. 2. idem Concil. agens de hoc Sacramento dicit: *cuius materia panis triticus & vinum de vite*, vbi requirit panem, quo perficiatur hoc Sacramentum, & tamen iuxta neutram sententiam relata constituit intrinsecè hoc Sacramentum; ergo ex modo loquendi Florentini non potest colligi, verba cōsecrationis etiam partialiter pertinere ad rationem huius Sacramenti.

Dices in alijs Sacramentis forma est intrinseca; quidni & in hoc?

Resp. esse discrimen quòd hoc Sacramentum sit aliquid permanens, alia verò consistant in vfu, & dicant applicationem materiæ sub certā verborum formā, quorum vtrumque ad gratiæ productionem concurret, quamuis ergo in alijs Sacramentis verba sint de intrinseca ratione, non idcirco pertinent ad rationem huius Sacramenti, sed sunt principium eius effectiui; quod voluit significare Florent. tradens formam huius

Nomē formæ potest interdum applicari ei, quod est extrinsecum.

Obiectio 1.
D. Thom.

Resp.

8.

Conclus. 2.
Consistere in speciebus consecratis.

Difficultas circa conclusionem.

Per consecrationem species incipiunt esse velamen corporis Christi.

Species per consecrationem determinatur ad representandam præsentiam Christi.

Sotus vult eas fore de ratione sacramenti.

Sacramenti esse verba quibus hoc conficitur Sacramentum: voluit enim denotare formam, quā tanquam principio effectiuo sacerdos hoc Sacramentum conficit. quod amplius declarat dicens: *nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi &c. conuertitur.* Nec obstat nomen formæ, quod videtur designare aliquid rei intrinsecum; nam interdum etiam applicatur ei quod est formaliter extra rem, quā ratione possumus dicere formam domus esse in mente artificis. De confirmatione argumenti infra dicitur.

Obijciunt 2. S. Thom. resp. ad 3. videtur sentire consecrationem esse de ratione huius Sacramenti, cum dicit: *& ideo Sacramentum Eucharistie perficitur in ipsa consecratione materia, alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum.*

Resp. neg. assumptū, solum enim vult dare discrimē inter hoc Sacramentū & alia, quod hoc Sacramentū sit ante usum, alia non itē, quod petebat tertium argumentum: non verō intendit docere quod consecratio respectu huius Sacramenti per omnia ita se habeat, sicut se habet applicatio materiae in alijs, quod ad solutionem argumenti non erat necessarium. nec propterea dicendus est sumere æquiuocē particulam, *perficiuntur*, quia in eo quod per se requiritur ad solutionem argumenti, nulla est æquiuocatio.

Dico 2. ratio huius Sacramenti consistit in speciebus consecratis; patet ex refutatione aliarum sententiarum, nihil enim sensibile restat quod possit dici pertinere ad essentiam huius Sacramenti; ergo optime dici possunt species ad illam pertinere, & tenent communis Theologi.

Difficultas tamen est quomodo possint pertinere ad rationem huius Sacramenti, cum per consecrationem nec ponantur, nec fortiantur nouam rationem signi sensibilis. nam per consecrationem nulla in illis fit sensibilis mutatio.

Resp. forte quidam rationem signi sensibilis, quia per consecrationem Christi corpus sub illis ponitur, atque ita incipiunt esse velamen corporis Christi latens, & quidem sensibile, non per sensibilem inutationem physicam in illis factam, sed per habitudinem ad consecrationem sensibilem: nam per consecrationem, ad quam hæc species dicuntur habitudinem, cognosci potest Christum esse sub speciebus, & per illas redā sensibilem. unde

Notandum quod licet consecratio sensibilis, non sit de intrinseca ratione huius Sacramenti, Sacramentū tamē necessariam dicat habitudinem ad illam, & eam eā habeat connexionem, cum species per eam determinentur ad representandam præsentiam Christi in hoc Sacramento. neque existimo, quod si Deus modo insensibili consecraret species, & subijs corpus Christi collocaret, futurum esset Sacramentum, cum ex nullo capite species fortiri possent rationem signi sensibilis corporis Christi, & Christi corpus per illas nullam rationem sensibilitatis posset fortiri, cum ex nullo sensibili signo possemus cognoscere corpus Christi sub illis latere.

Sed controuertitur num ex solâ sint de essentia huius Sacramenti? Afirmat Sotus dist. 8. q. vni. ca art. 1. *his tamen nihil obstantibus*, & quidam alij. Plures negant, censentes etiam Christi corpus & sanguinem intrinsecē ad rationem huius Sacramenti pertinere, ita vt verum sit dicere: Sacramentum Eucharistie est conflatum ex speciebus, & corpore & sanguine Christi, seu intrinsecē constat

speciebus, corpore & sanguine Christi. tener Capreolus dist. citat q. 1. in fine primæ conclusionis, Vict. de Sacramentis num. 52. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 5. & plures recentiores.

Quæ sententia est probabilior.

Probat 1. hoc Sacramentum potest per se adorari latrâ; igitur includit Christum eiusque corpus, & non dicit tantum species, prout habentes tantum ordinem ad corpus Christi, quia per illum solum respectum species non possunt per se latrâ adorari.

2. Consecratio pro suo termino habet id, quod per illam ponitur; id autem non sunt solæ species extra subiectū constitutæ, sed Christi corpus, quod sub speciebus ponitur, & quidem quod præcipue respicitur a consecratione; hæc autem habet pro suo termino Sacramentum, ergo dicendum est Christi corpus ad rationem huius Sacramenti pertinere.

3. Quando hoc Sacramentum dicitur cibus animæ, non solum ita vocatur, quod sit species quæ cibum spirituales representet, sed quod verè animam nutriat, quod præcipue competit corpori Christi latenti sub speciebus, illud enim est cibus animarum nostrarum.

Confit. virtus operatiua gratiæ in hoc Sacramento præcipue est in Christi corpore.

Obijciunt 1. quod Christi corpus sub speciebus latens sit insensibile.

Resp. non requiri, vt quidquid concurret ad constitutionem alicuius sensibilis, per se, & seorsim sumptum ab alio, sit sensibile, patet in animâ rationali, quæ cum sit pars hominis qui est compositum sensibile, ipsa tamen per se non est sensibilis, sed per corpus & per operationes, quas exercet in corpore, patet etiam in Sacramentis, contritio enim pars essentialis Sacramenti ponentia per se non est sensibilis, sed per confessionem. Dicimus ergo in præfenti quod licet corpus Christi, vt hic existens, non sit per se sensibile, reddatur tamen sensibile per species, & id sufficiat, vt possit signum aliquid sensibile constituitur.

Dices Christi corpus non est subiectum specierum.

Resp. quamuis ita sit, quia tamen subiecto earum destructo, ponitur sub illis per consecrationem sensibilem, possunt illud representare & reddere aliquo modo sensibile per habitudinem ad præcedentem consecrationem.

Obijciunt 2. Christi corpus dicitur esse in hoc Sacramento.

Resp. dici esse, vt partem in toto, non verò tantam aliquid extra rationem Sacramenti existens.

Obijciunt 3. corpus Christi neque potest se habere per modum formæ, neque per modum materiæ, igitur non debet constitui pars huius Sacramenti, cum in omni alio Sacramento aliquid se habeat per modum materiæ, aliud verò per modum formæ.

Resp. neg. consequentiam, si strictè velimus loqui, & dico non esse necesse, vt in hoc Sacramento sit vera forma interna, & vera materia etiā eo modo, quo in alijs Sacramentis assignantur, sed possit coalescere ex corpore Christi, & speciebus, licet ea inter se non fortiantur habitudinem materiæ & formæ. neque in singulis Sacramentis sunt exigenda ea omnia, quæ fortè in quibusdam inveniuntur, cetera consistunt in usu, hoc Sacramentum

Negat alij. Capreol. Vict. Alan.

9. Negatum approbat.

Anima est corpus compositum, non est sensibile.

Resp. Corpus Christi est in Sacramento.

In singulis Sacramentis non sunt exigenda ea omnia, quæ fortè in quibusdam inveniuntur, cetera consistunt in usu, hoc Sacramentum

mentum consistit in aliquo permanenti; in alijs uerba sunt de intrinseca ratione Sacramenti, in hoc uero sunt extrinseca, & comparantur ad illud tanquam principium effectuum; in alijs non inuenitur substantia sensibilis quæ per formam destruitur, hic inuenitur. mirum ergo uideri non debet, si in presenti non inueniatur materia & forma quibus hoc Sacramentum intrinsecè constituitur, quamuis in alijs assignentur.

Resp. nihilominus 2. posse aliquo modo rationem materiæ & formæ adaptari partibus huius Sacramenti; nam corpus Christi quatenus latens sub speciebus & per illas innotescens, potest comparari materiæ, & species comparari formæ, cum materia per formam innotescat: potest etiam eadem comparari, quod species extra suum conaturale subiectum existentes Christi corpus respiciant; item quod eadem representent corpus Christi per modum cibi. ijs igitur modis & alijs similibus species possunt aliqualem formæ rationem fortiri, & corpus Christi rationem materiæ, quamuis corpus Christi sit potior pars huius Sacramenti, in qua præcipue uirtus causatiua gratiæ residet, & hac ratione forma huius Sacramenti aliquo modo dici possit.

Obijciunt 4. cap. cum Marthe §. distinguendum, de celebratione Missarum, dicitur quod species sint Sacramentum tantum, corpus uero & sanguis Christi sint res & Sacramentum simul, res tantum sit uino & charitas, igitur corpus Christi non est de intrinseca ratione Sacramenti.

Resp. neg. consequentiam, quia Sacramentum aliter sumitur cum dicitur quod species sint Sacramentum tantum, & aliter cum dicitur Sacramentum Eucharistia constare speciebus & corpore Christi: cum enim species dicuntur Sacramentum tantum, Sacramentum idem significat quod signum, & species dicuntur Sacramentum tantum, quia ita significant aliud, ut ipse vicissim non significetur. Cum autem Sacramentum Eucharistia dicitur constare speciebus & corpore Christi, Sacramentum sumitur pro signo sensibili gratiæ causatiuo, siue ita significet, ut per aliud etiam significetur, siue non. quamuis ergo corpus Christi sit Sacramentum, & res Sacramenti, quatenus & aliud significat, & significatur per aliud, non tamen debet esse signum gratiæ collatum, & proinde ad rationem Sacramenti pertinere, cum non repugnet Sacramento unam partem significari per aliam, ut patet in contritione, quæ significatur per confessionem.

Occasione huius argumenti Scholastici solent tria in Sacramentis distinguere. 1. Sacramentum tantum, quod scilicet ita significat, ut per aliud non significetur; ut species in hoc Sacramento, quæ ita significant corpus Christi, gratiam, ut non significentur per aliud. 2. res & Sacramentum, quod per aliud significatur, & ipsum significat aliud; ut corpus Christi quod significatur per species, & significat charitatem & unionem corporis mystici. 3. res tantum, quæ ita significatur, ut ipsa non significet aliud, ut gratia quæ per species & corpus significatur, non autem significat.

ARTICVLVS II.

Virum hoc Sacramentum sit unum, vel plura?

RESPONDET, quamuis sit multa materialiter, formaliter tamen esse unum; id est licet res variæ concurrant ad hoc Sacramentum constituendum, unum tamen constitui, quia conueniunt ad perfectam animæ refectionem representandam, & ad componendum perfectum conuiuium spirituale animæ. ita plures Theologi, quorum loquendi modum interdum usurpat Ecclesia agens de Eucharistia, tanquam de uno Sacramento, ut patet ex Concil. Florent. & Trident. sess. 13. & varijs Ecclesiæ collectis, quamuis propter multitudinem rerum concurrentium ad perfectè representandum animæ refectionem, interdum ab eadem Ecclesia uocetur Sacramenta scilicet materialiter, quæ ratione potest explicari si quando apud Patres huiusmodi locutio inueniatur, quod scilicet sint plura Sacramenta materialiter, id est res plures, quæ conueniant ad hoc conuiuium constandum, quatum singulis sua inest significatio, quamuis non perfecta: nam id quod per modum cibi representatur, non sortitur perfectam rationem conuiuij in representando, similiter nec id quod representatur per modum potus, sed conflatum ex utroque.

Ex quibus patet hoc Sacramentum non dici unum unitate specifica strictè sumpta, neque unitate per se, sed morali, quæ ratione conuiuium dicitur unum, etiam si constet rebus diuersissimis, quæ nullam inter se naturalem & physicam habent connexionem. ex qua explicandi ratione varia possunt solui argumenta, quibus uideatur probari Eucharistiam esse plura Sacramenta.

ARTICVLVS III.

Virum Eucharistia sit de necessitate salutis?

THOMAS uidetur agere de necessitate mediæ; &

Respondet 1. Sacramentum Eucharistia re susceptum non esse de necessitate salutis.

Respondet 2. rem huius Sacramenti esse de necessitate salutis. Et tandem concludens.

Respondet 3. hoc Sacramentum in voto esse ad salutem necessarium.

Notandum 1. communi Doctorum consensu hoc Sacramentum esse necessarium necessitate præcepti, quod patet ex Ioannis 6. *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.* quod de reali manducatione corporis Christi in hoc Sacramento communiter accipiunt Doctores, & ex ipso textu uariè potest probari, de quo alibi. unde adulti tenentur sub præcepto hoc Sacramentum sumere.

Notandum 2. illud idem Sacramentum reipsa susceptum non esse necessarium ad salutem necessitate mediæ. nam ut Florent. decreto de Sacramentis, & Trident. sess. 5. §. 5. baptizati, nisi de nouo peccent, non impediuntur ab ingressu regni celorum, & proinde non potest dici illis deesse aliquid ad salutem necessarium necessitate mediæ.

Hh 4

2. con-

Resp.

Hoc Sacramentum aliquando dicitur plura, aliquando unum.

Explicatur PP.

Dicitur unum unitate morali.

Resp.

II.

Est necessarium necessitate præcepti, Ioan. 6.

Nō mediæ.

Florent. Trident.

2. Constat homines posse multis alijs modis iustificari, quibus eventibus si non peccent de nouo, possunt salutem consequi.

Confir. hoc Sacramentum est institutum in spirituale cibum animae; ergo quemadmodum cibus corporalis supponit vitam corporalem, ita hoc Sacramentum per se loquendo supponit vitam animae per gratiam, & proinde supponit id quod ad salutem sufficit.

Ex quibus patet quod si qui dicant Eucharistiam esse homini necessariam, solum velint spectata hominum fragilitatem & negligentiam in exercitio virtutum illam aliquo modo esse necessariam ut homo remaneat Deo vnitus per gratiam, & perseueret in via virtutis; vel quod ea loquendi forma velint designare maximam illius utilitatem & efficaciam ut quis in Dei gratia perseueret.

Neque in sententia citata Ioan. indicatur necessitas realis manducationis, quae proveniat ex ratione medij ad salutem necessarij, sed solum necessitas praeccepti, & sermo dirigitur ad videntes ratione, quibus praecipitur, ut hunc spirituale cibum manducant.

Notandum 3. S. Th. dicere rem huius Sacramenti esse de necessitate salutis, quia scilicet res huius Sacramenti est vnio cum Christo & Ecclesia, quae est corpus eius mysticum, sine qua vnione salus obtineri non potest.

Aduerte tamen non esse necesse ut haec vnio per hoc Sacramentum comparetur, & sit reipsa huius Sacramenti effectus, sic enim Sacramentum esset reipsa ad salutem necessarium, quod S. Th. repugnat.

D V B I V M.

Utrum Sacramentum Eucharistiae sit necessarium saltem in voto necessitate medij?

12.

Suadetur
affir.
D. Thom.
August.

Negant
Durand.
Palud.
Gabr.

Negatiua
defenditur.
Conclus. 1.
Nō est par-
uulis ne-
cessaria in
voto.

Confir. ex
maxi Ec-
clesiae.

ITA censent quidam; quibus videtur fauere D. Th. in corpore. & D. August. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 22. dicens: *nec illud cogitatis eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Domini.*

Negant Durand. dist. 9. quaest. 2. Palud. eadem dist. quaest. 1. art. 1. Gabr. quaest. art. 2. conclus. 2. & 3. & plures alij tum antiqui tum recentiores, iuxta quorum sententiam

Resp. & dico 1. Eucharistia non est necessaria paruulis in voto.

Probatur, non potest aliud in eis considerari in quo Eucharistia censetur contineri tanquam in voto, praeter baptismum; non potest autem apte dici contineri in eo tanquam in voto, quia quod in alio hoc modo continetur, non potest iustificare & perducere ad salutem, nisi per ordinem ad alterum quod dicitur in eo contineri, baptismus autem non censetur iustificare per ordinem ad Eucharistiam, sed absolute & per se.

Confir. Ecclesia non praebet Eucharistiam paruulis de vita periclitantibus, quod nullo modo posset omittere, si esset in voto necessaria: quod enim ita est necessarium omitteri non debet quantumvis homo sit iustus.

Probatur 2. in paruulo nullus actus potest assignari, in quo votum Eucharistiae censetur implicite contineri; quod autem dicitur in voto necessarium, debet implicite in aliquo actu contineri,

quia nihil potest dici implicitum, nisi in alio tanquam explicito contineatur.

Dices inueniri baptismum & voluntatem, quae baptismus paruulo applicatur, per quem tanquam per generationem spirituales paruuli dici potest inclinari in Eucharistiam, tanquam in cibum spirituale.

Resp. id esse valde improprium & metaphoricum, propter quem modum loquendi non debet theologice dici Eucharistiam esse necessariam ad salutem necessitate medij.

Probatur 3. ratione à priori. Eucharistia est instituta tanquam spiritualis cibus animae, ergo ex sua institutione supponit vitam in sumente, & per consequens per se loquendo nō dirigitur ad vitam spirituale primò conferendam, seu ad conferendam remissionem peccatorum & primam gratiam sanctificationis; igitur dici nequit necessaria in voto ad illum finem; quia quod ita dicitur necessarium, debet ex sua institutione operari per se remissionem peccatorum. nō est etiam per se necessaria, ut quis in gratia perseueret, cum iustus si parum superuiuat, nō egeat noua gratia interna, ut perseueret: si diu superuiuat, quamvis propter varias tentationes & peccandi pericula, quibus exponitur opus habeat huiusmodi gratia, eam tamen alijs modis potest comparare, ita ut etiam ex eo capite Eucharistia non sit necessaria necessitate medij ad perseuerandum, & per consequens ad salutem. potest enim cum Dei adiutorio tentationes superare per exercitium virtutum, per ieiunia, per orationes &c.

Dico 2. neque etiam adultis est necessaria necessitate medij.

Probatur ex tertia ratione superioris conclusionis, quae hic etiam locum habet.

Confir. si Eucharistia esset necessaria necessitate medij ad iustificationem vel salutem, nullus posset iustificari, quo casu nollet communicare; cum iustificatio non possit comparari cum voluntate, quā aliquis non vult recipere id quod ad iustitiam dicitur saltem in voto necessarium, non possit autem aliquis dici habere votum eius quod non vult adhibere, cum potest, atqui constat hominem aliquo casu posse acquirere peccatorum remissionem quamvis nolit communicare, ut si postquam homo sumpsit viaticum, incidat in mortale, potest per veram contritionem & confessionem illius remissionem acquirere, quamvis habeat positum voluntatem non communicandi.

Dices communio eo casu non est praeccepta, est autem solum necessaria quo casu est in praeccepto.

Resp. id non posse asseri ab alijs qui absolute censent eam in voto esse necessariam. Dico etiam quod quando praeccepta est, non sit praeccepta tanquam medium iustificationis acquirenda, sed per modum cibi & nutrimenti spiritualis ad vitam seruandam, quae aliter seruari potest, ut patet.

Dices in casu posito confitio poterit referri ad praecedentem communionem.

Resp. id dici non posse; quod enim dicitur aliud contineri in voto non potest illud respicere ut praeteritum, ut videtur patere ex terminis. nam continere in voto est continere per modum desiderij, desiderium autem non respicit praeteritum, sed futurum; & quamvis ut aliquid dicatur aliud in voto continere non requiratur expressum desiderium, ut tenet probabilior opinio, tamen ceterum requiri

implici.

implicitem, de quo proportionem quadam discurrendum, sicut de explicito.

Confr. ex Trid. sess. 14. cap. 4. docente, etiam si contritio hominem Deo reconciliat priusquam Sacramentum penitentiae actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; ubi satis ostendit, id quod aliud dicitur continere in voto, illud aliud respicere tanquam futurum.

Confr. 2. alioquin dici posset contritionem, confessionem, immo & ipsammet Eucharistiam susceptam conferre gratiam, prout baptismum in voto continent, quod est alienum à doctrina Theologorum.

Dices Eucharistiam posse dici necessariam in voto, quatenus ad iustificationem requiritur implicita voluntas illam percipiendi tempore praeccepti, nam quamvis actualis observatio mandatorum non sit necessaria necessitate medij ad salutem, implicita tamen voluntas illa seruandi est medium necessarium ad iustificationem.

Resp. nihil inde confici pro necessitate medij respectu Eucharistiae, cum idem dici possit de alijs praecceptis; nam implicita voluntas illa seruandi necessaria est ad iustificationem, propter quam tamen non omnia quae sunt necessaria necessitate praeccepti, dicenda sunt necessaria necessitate medij, nisi enim sit questio de nomine, & unusquisque utatur illis vocabulis, necessarium necessitate medij, seu finis, pro arbitrio: quod est necessarium necessitate praeccepti, praecise ex eo capite non debet dici necessarium necessitate medij, nam necessarium necessitate medij est id, quod positum conducit ad iustificationem, ut patet ex terminis, seu quod tantum medium, quo acquiritur iustificatio, exigitur, ut patet in baptismo, penitentia &c. necessarium verò necessitate praeccepti ut sic, solum est necessarium negativè, id est ut non impediatur iustificatio per transgressionem praeccepti.

Ad S. Th. Resp. mentem eius esse difficilem, alijs tamen locis non minus perspicue colligi hoc Sacramentum non esse necessarium ad salutem necessitate medij: nam quaest. 65. art. 4. censet inter Sacramenta solum duo, scilicet baptismum, & penitentiam esse simpliciter necessaria vnicuique ad finem, id est, ad salutem.

Nec repugnat quaest. 79. art. 1. ad 1. dicens, quod nullus habeat gratiam ante susceptionem huius Sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius: unde ex efficacia votum ipsius est quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur. non inquam repugnat, quia id non dixit de Sacramento formaliter sumpto, prout est eibus spiritualis, constants Christi corpore & speciebus sensibilibus, sed solum ratione Christi seu rei contentae in hoc Sacramento: nam ille in alijs etiam Sacramentis est causa gratiae, nec potest aliquis gratiam consequi nisi ab illo, & aliquo modo per affectum in voluntatem ipsi, per proprium, inquam, affectum in adultis, per alium in parvulis.

Ad Aug. Resp. loco citato etiam nihil aliud vellem quam rem huius Sacramenti esse necessariam ad salutem, seu nullum saluari posse, qui Christo per gratiam virtutis non fuerit (quod est res huius Sacramenti) non quidem necessario prout ab hoc Sacramento procedit, sed loquendo in genere, nam idem Aug. epist. ad Bonifacium, & refertur, can. Nulli, de consecratione, dist. 4. dicit: nulli est aliquisque sanguis Domini participari fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius

panis calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem comedit & calicem bibit de hoc saculo in unitate corporis Christi abscedit. vide eundem lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. & lib. 3. cap. 4.

Obijcies 1. quòd Ioan. 6. Christus dicat: ego sum panis vitae item: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum.

Resp. his & similibus locutionibus declarari vim & efficaciam Eucharistiae, ex ijs tamen non concludi eiusdem necessitatem, cum vita spiritualis alijs modis possit comparari, foueri, & augeri, quo sensu etiam est accipiendum quod tradit Conc. Trid. sess. 13. cap. 2. dicens: sumi autem volunt (scilicet Christus) Sacramentum hoc tanquam spirituale alimentum quo alantur & confortentur viventes vitam illius, &c. & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus prescervemur. pignus praeterea id esse volunt futurae nostrae gloriae & perpetuae felicitatis. ita, inquam, accipiendum, ut declararetur efficacia Eucharistiae, & finis, ad quem peculiariter est instituta, non tamen necessitas medij, quia animae nutrimentum, quo fovetur, est gratia quam homo non solum per hoc Sacramentum potest comparare, sed etiam per alia media, per quae etiam potest à peccatis mortalibus prescervari, & quisquis habet gratiam, habet pignus futurae gloriae, quam consequetur, si in ea gratia perseveret: quae perseverantia potest aliunde provenire, quam ab hoc Sacramento.

Obijcies 2. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioan. cap. 13. ait, non poterat aliter corruptibilis hac natura corporis ad immortalitatem & vitam traduci, nisi naturalis vita corporis coniungeretur, non credis mihi haec dicenti? Christo fidem praebens, nisi manducaveris &c. quibus verbis docet immortalitatem corporis solum posse obtineri virtute Eucharistiae, ex quo sequitur eam necessitatem esse medij.

Resp. negando Cyrillum id velle, & dico illum solum velle posito praeccepto de reali manducatione carnis Christi eum non posse ad vitam immortalem traduci, qui negligit coniungi carni Christi per realem eiusdem manducationem, quia transgrediendo praecceptum mortaliter peccat, à quo peccato si non resurgat, nequit vitam coelestem obtinere, patet ex sententia Ioan. 6. nisi manducaveris, quam in sui dicti confirmationem adducit.

ARTICVLVS IV.

Utrum convenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominetur?

AFIRMAT; nam vocatur sacrificium, communio, viaticum, Eucharistia, assumptio, quorum nominum rationem vide in textu. vocari etiam solet panis vitae, panis, qui de caelo descendit, conuiuium, potestque ita vocari vel à materia consue, ex qua conficitur, vel à specie, vel ab effectu, nam sicut panis corporaliter, ita hoc Sacramentum spiritualiter animam reficit. vocatur etiam synaxis, quod significat conuentum, conjunctionem, vel quia celebrari solet convenientibus Christianis, vel quia est Sacramentum pacis & unionis, quo fideles artius inter se censentur copulari communicantes de eodem pane. vocatur etiam Sacramentum corporis & sanguinis Domini à re contenta, item Sacramentum Sacramentorum, mysterium mysteriorum, augustissimum Sacramentum &c. frequentissimè vocatur Eucharistia, quod

14.

Obiectio 1.

Resp.

Explicatur & Trident.

Obiectio 2. Cyrill. Alex.

Resp. Explicatur mens Cyrilli.

15.

Resp. affir.

Varia nomina Eucharistiae.

Vocatur
Eucharis-
tia à gra-
tiarum ac-
tione.

quod nomen S. Th. interpretatur *bona gratia*, quia continet Christum, qui est summa gratia, vel quia per illam datur peculiariter ius ad vitam æternam, quæ est maxima gratia; verius tamen est ita vocari à gratiarum actione, ut plerique auctores: *eu-cha-ristia*, id est gratias agens, hoc Sacramentum cõfecit, ut legitur apud Lucam. c. 22. & prioris ad Cor. ii. est ergo Eucharistia, quia est Sacramentum actionis gratiarum, cum eius confectio, oblatione, sumptione gratias Deo agamus pro vniuersis in nos collatis beneficijs. His & varijs alijs nominibus hoc Sacramentum à sanctis Patribus & Scrip- toribus Ecclesiasticis nuncupatur, quibus eius di- gnitas, proprietates, & multiplices effectus nobis de- clarantur.

Non debet
iam à Ca-
tholicis vo-
cari Cœna
Domini.

Quibus omnibus prætermisissis nostri temporis hæretici solo nomine Cœnæ Domini dignantur, quod licet interdum videatur à quibusdam Patri- bus vsurpatum; quia tamen hæretici eo abutun- tur ad suas hæreses stabiliendas, idcirco hoc tem- pore ille modus loquendi Catholicis est vitandus. ideo enim ita loquuntur hæretici ut significant non oportere seiuinos ad hoc Sacramentum acce- dere, item non debere asseruari, sed sola sumptione confici, non esse sacrificium; quæ omnia sunt falsa.

Explicatur
locus Apo-
stoli
1. Cor. ii.

Nec obstat quòd Apostolus ita videatur voca- se 1. ad Cor. ii. *conuenientibus vobis in vnum iam non est dominicam cœnam manducare*. 1. enim probabilius est Apostolum in ea sententia non agere de Sacra- mento Eucharistie, ut multi Patres & Scripturæ interpretes, sed de conuiuio, quod Christiani pri- mis illis temporibus ad fouendam charitatem so- lebant in commune celebrare, quod ex textu col- ligi potest, in quo dicitur: *vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est*; quibus verbis videtur ra- tionem reddere, cur non manducent cœnam do- minicam, id est, in qua ad imitationem Christi con- ueniant ad conuiuium, quia scilicet alijs neglectis quidam splendide epulabantur. 2. quamuis Apo- stolus loco citato mentionem faceret huius Sacra- menti (quod censent aliqui) non tamen eo sensu & ratione, quæ hæretici.

ARTICVLVS V.

Vtrum institutio huius Sacramenti fue- rit conueniens?

Resp. affir.

RESPONDET Christum conuenienter in- stituisse hoc Sacramentum in vltimâ æternâ, quando ex hoc mundo erat recessurus, & sese sub- traclurus suis discipulis præsentia corporali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Agnus Paschalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?

16.

Hoc Sacra-
mentum iux-
ta varias
confid-
rationes var-
ie fuit adom-
bratum.

PRESUPPONIT hoc Sacramentum secun- dum diuersas considerationes fuisse varijs fi- guris adumbratum: nam quatenus conficitur ex pane, & vino tanquam materia transeunte, & sub eorumdem speciebus latet Christi corpus & san- guis, figuratum fuit præcipue per sacrificium Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. quantum

verò ad rem in hoc Sacramento latentem sub spe- ciebus, quæ est Christus Dominus passus, præfigu- ratum fuit præcipue per sacrificia legis veteris, & maxime per sacrificium expiationis. quantum ad effectum præcipue fuit præfiguratum per manna quod in se habebat omnis saporis suauitatem, his præmissis

Respondet præcipuam huius mysterij figuram fuisse Agnum Paschalem, qui videlicet quantum ad omnia hoc Sacramentum figurabat: nam re- præsentabat quoad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, quantum ad 2. quia immo- labatur ab omni multitudine filiorum Israël luna 14. quo die Christus incepit pro nobis pati, quan- tum ad 3. quia filij Israël per sanguinem Agni pro- tecti sunt ab Angelo percutiente & à seruitute ægyptiaca.

Aduerte plures alias fuisse figuras huius Sacra- menti, ut panes propositionis quibus soli mundi vesci poterant, panem primitiarum, panem subci- nerium Helie, lignum vitæ, quibus hoc Sacra- mentum conuenienter fuit adumbratum, partim ad maiorem reuerentiam tanti mysterij excitandam, partim, ut homines paulatim redderentur do- ciles ad mysterium adeò difficile intelligendum.

QVÆSTIO LXXIV.

De materia Eucharistie quan- tum ad speciem.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia huius Sacramenti sit panis & vinum?



EIECTIS varijs circa hoc mysterium antiquorum hæresibus,

Respondet materiam huius Sacra- menti esse panem & vinum: patet ex Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. ad Cor. ii. quibus locis de institutione huius Sacramenti agitur, si- militer ex Flor. decreto de Sacramentis §. *seruium est*, & communi Ecclesiæ sensu, cuius rei varias ad- fert congruentias.

1. quòd panis & vinum sint apta ad refectio- nem animarum, & sint communia. 2. quòd passio Christi per hæc aptè representetur: nam sicut in ea sanguis à corpore est separatus, ita in hoc Sacra- mento corpus separatur mysticè à sanguine, dum ex vi verborum corpus Christi ponitur sub specie panis, & sanguis sub specie vini. 3. quòd hæc opti- me representent fructum huius Sacramenti qui est vnio membrorum tum cum capite, tum inter se: nam panis ex multis granis conficitur, vinum autem confluit ex multis vuis.

Notandum licet D. Th. & varij sentiant anti- quos hæreticos errasse circa materiam ex qua, nuius Sacramenti, aliquos tamen probabiliter exi- stimare id non posse ostendi ex Patribus, vel alijs, qui agunt de hæresibus; nam aliud est errare in eo quod assumerent ad sacrificium materiam indebi- tam, aliud verò, quod intenderent per id Sacra- mentum conficere. quamuis autem ex Patribus ostendi possit varios circa prius turpiter errasse, non tamen facile potest ostendi quòd errauerint circa posterius, seu circa materiam huius Sacramenti?

ARTI-